

mundi, sed attenda impossibilitate applicationis omnium lignorum non potest omnia de facto comburere.

XXXVIII. Ad tertium respondetur esse disparitatem inter voluntatem et intellectum, quia ad voluntatem non solum pertinet velle intra se, sed etiam operari, et movere reliquas potentias, easque subicere rationi, ad hoc autem patitur magnam resistantiam ex parte appetitus inferioris, et boni sensibilis: *Caro enim concupiscit adversus spiritum*: at vero operatio intellectus speculativa non se intromittit cum aliis potentiis, sed perficitur ad intra, a sensibus enim potius juvatur in acquisitione specierum, et principiorum, unde non est aliqua veritas naturalis in singulari, et determinate, ad quam habeat tot impedimenta, quæ non possint tolli per concursum ordinarium, nisi forte per accidens in aliquo individuo ita obtusi ingenii, quod non nisi per extraordinarium concursum potest facultas ejus disponi ad intelligendum.

XXXIX. Ad confirmationem respondetur, quod in theologia sunt duo, et bonitas consequentiæ, et veritas illata: quantum ad bonitatem consequentiæ non indiget speciali gratia ut intelligatur, quia illa non innititur principiis fidei, sed eisdem principiis logicalibus quibus alii syllogismi et consequentiæ: quantum ad veritatem illatam, vel illa est certa, et demonstrata, vel solum probabiliter deducta; si est demonstrata, existimo non posse haberi sine gratia speciali, si per veram theologiam habetur, eo quod in talem veritatem influit fides mediate, a qua illa veritas theologica habet firmiorem assensum, quam si ex solis principiis naturalibus penderet, omnis autem certitudo derivata a fide, cum sit major certitudine naturali, exigit majus auxilium quam naturale,

et dico si sit vera theologia, nam in infideli discurrente ex principiis theologicis veritas illata non habet illam firmitatem quam in catholico, eo quod non firmiter adhæret hæreticus principiis fidei, atque adeo in illo non influit fides aliquam certitudinem in conclusionem theologiam; si autem veritas illata solum sit probabilis, et opinative, non requirit specialem gratiam per se loquendo, quia non habet ibi fides specialem influxum certitudinis, eo quod opinativo assensui potest subesse falsum, et consequenter non recipit a fide firmitatem, et specialem virtutem, sed a fide acquisita, quæ est similis fidei supernaturali.

XL. Dico ultimo: Circa veritates practicas idem dicendum est, quod circa speculativas, non solum quoad prima principia practica, sed etiam quoad ultimum iudicium executivum, quod est imperium, et solum addendum est, quod non solum sine gratia speciali non possunt haberi veritates practicae collective, sed nec aliquæ divisive, scilicet illæ quæ efficaciter, et primo movent ad actus voluntatis, qui indigent speciali gratia, sicut est dilectio Dei super omnia, victoria tentationis gravissimæ, et multa alia de quibus in articulis sequentibus dicemus.

XLI. Tota hæc conclusio dependet ex dicendis sequenti articulo, ubi ostendemus voluntatem non indigere gratia speciali ad quemcumque actum bonum moralem; eadem ratio est de dictamine practico proxime movente ad opus, atque de ipso opere bono ad quod movet, solum enim supra veritatem speculativam addit veritas practica hanc efficaciam, et motionem, unde eo modo quo requiritur gratia ad veritates speculativas ex una parte, et opera moralia ex altera, requiritur ad veritates practicas.

XLII. Solum adverto, quod aliter

ponenda est debilitas rationis in ordine ad veritates speculativas, atque ad practicas, quod ad veritates speculativas ratio vulnerata non est in ipso lumine, et in principiis, quibus movetur ad cognoscendum, sed solum ab extrinseco manet impedita: at in ordine ad veritates practicas vulnerata est, quia ratio practica non est solum cognoscens, sed etiam efficiens, et movens, unde non solum habet pro principiis ea quæ pertinent ad bene intelligendum, sed etiam ea quæ pertinent ad bene movendum, omnis namque motio voluntatis inchoatur a fine, unde prudentia, et ratio practica habent finem voluntatis pro principio, qua ratione colligit S. Thomas 1-2, quæst. LXV, articulo primo, quod prudentia respicit omnes veritates morales quantum ad intentionem finis, quia est recta ratio agibilium, quæ procedit ex finibus ad quos inclinabatur per virtutes tamquam ex principiis recte movendi, cum ergo per peccatum homo sit aversus ab ultimo fine recto, consequenter vulneratus est, et diminutus in ipso principio movendi ad bonam efficaciter, et ideo prudentia vera, et simpliciter talis, quæ scilicet ordinat ad bonum finem totius vitæ non manet in peccatoribus, ut docet D. Thomas 2-2, quæst. XLVII, artic. XIII, sed quia potest manere aliqua prudentia imperfecta, quæ scilicet inclinet ad unum vel alterum opus recte faciendum, licet non dirigat perfecte ad finem totius vitæ, et ad rectificationem erga ultimum finem, ideo sine speciali gratia etiam a peccatore potest intelligi aliqua veritas practica, et sic non omnes.

XLIII. Contra hanc decisionem non sunt aliæ objectiones præter adductas contra ea quæ diximus de veritatibus speculativis, et infra addendas circa bona opera moralia, solent tamen adduci quædam auctori-

tates quæ solent homini tribuere cogitationem malam, et ad omnem cogitationem bonam requirere gratiam Dei, sicut Genesis capite sexto dicitur: *Videns Deus quod cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malum omni tempore*: et II Paralipomenon, cap. XX: *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut ad te oculos dirigamus*: et similiter II Corinth. cap. III: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis*. Ac denique in Concilio Milevitano dicitur: «Utrumque esse donum Dei, et scire quid agere debeamus, et facere quod debemus.» Quod frequenter Augustinus et plures alii sancti patres Ecclesiæ repetunt, tribuentes gratiæ Dei apertionem oculorum et intelligentiam, ut videre est in illis, et in auctoribus supra citatis, qui illos late, et luculenter adducunt, id est, quod nobis oculos adaperiat, et lumen addat ut intelligere possimus: ergo juxta prædictas auctoritates, et loca Scripturarum videtur fateri debere, non posse sine speciali gratia Dei nobis superaddita veritates practicas neque collective omnes, neque divisive quamlibet, et seorsum posse nos capere, vel intelligere.

XLIV. Respondetur, quod illa duo loca prima loquuntur in casibus particularibus, ex quibus fit argumentum ad omnes homines in universum, loquitur enim primus locus de tempore diluvii, in quo ita pessimi homines fuerunt, quod corrupta est terra coram Domino, et repleta iniquitate, illa enim universalis cuncta cogitatio cordis, etc. non intelligitur secundum distributionem rigorosam, sed pro majori parte, nam etiam tunc aliqui fuerunt justi licet paucissimi. In secundo autem loco aperte loquitur Scriptura de quodam particulari casu regis Josaphat, in quo ignorabant quid age-

re deberent propter multitudinem hostium circumdantium. Alia duo posteriora loca, vel loquuntur de cogitatione, et scientia conducente ad justificationem, ut exponit D. Thomas et Augustinus articulo quarto, vel solum significant quamcumque cogitationem bonam non esse a nobis, sed ex Deo propter auxilium generale excitans, et præmovens, et concurrens, quod etiam est donum Dei, licet non speciale. Quæ est explicatio D. Thomæ hic articulo primo ad tertium, et omnia loca sanctorum, quæ simili modo loquuntur, altera ex his explicationibus exponenda sunt.

ARTICULUS III.

Utrum sit necessaria specialis gratia ad quodcumque opus morale naturalis ordinis, et ad quamcumque tentationem vincendam?

I. In hac quæstione et difficultate diverso etiam modo processerunt antiqui, et pater Vasquez; apud antiquos enim Gregorius Ariminensis, quem refert Cajetanus hic articulo secundo, et ex parte sequitur Castro verbo gratia, hæresi prima, et alii existimarunt requiri gratiam specialem ad quodcumque opus bonum morale; tum, propter infirmitatem voluntatis post peccatum, ratione cujus omnis victoria tentationis est ex illa gratia quam petimus, cum dicimus: *Ne nos inducas in tentationem*, est enim liberatio a tyrannide diaboli, a qua non liberat nisi gratia Dei; tum, quia ut inquit Gregorius, ad omne opus bonum præter excitationem, et concursum concomitantem Dei, requiritur quidam impulsus, et motio physica, quia ut dicit Augustinus libro II contra duas epistolas Pelagianorum, cap. VIII:

« Nulla bona facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo. » Ista ergo factio, seu motio Dei dicitur a Gregorio specialis gratia comparatione ad concursum concomitantem et excitantem; tum denique, quia ut aliquod opus sit bonum moraliter debet referri in ultimum finem, qui est Deus, ad quod requiritur specialis gratia propter specialem relationem in Deum.

II. At vero pater Vasquez hic disp. CLXXXIX, et sequentibus latissime hanc eandem sententiam prosequitur, ut requiratur gratia per Christum ad omne opus bonum morale, licet ad illud quod est naturalis ordinis, talis gratia per Christum etiam naturalis ordinis sit, sed hanc indigentiam gratiæ specialis non reducit ad infirmitatem, et defectum virium, vel ad relationem specialem in finem ultimum, ut Gregorius, sed ad indifferentiam, et indeterminationem voluntatis, quæ per aliquam cogitationem sanctam in congrua occasione datam determinanda est ad bonum; et ista sancta cogitatio congrue data posset sine ulla violentia denegari a Deo, stante integre toto beneficio creationis, et institutione naturæ; quare ad hanc cogitationem sanctam, et congruam libera Dei voluntate datam reducit Vasquez rationem specialis gratiæ, quæ ad quodcumque opus bonum requiritur, ut patet in disputatione CXC, cap. XII, numero CXXI. Quod vero illa cogitatio sit indebita, et consequenter speciale beneficium, deducit disp. CLXXXIX, cap. XIV et XV, ex differentia inter creaturas racionales, et reliquas, quod reliquæ creaturæ sint determinatæ ad unum, unde ex ipsa earum creatione, et conservatione debent eis determinatus concursus, ita ut sine violentia non possit eis connaturaliter denegari: at vero creaturæ racionales non sunt ad unum determi-

natæ, sed indifferentes, unde ex ipsa naturæ creatione, et conservatione non fit magis debitus concursus ad unum, quam ad aliud, vel quod datur cum congruitate ad effectum, vel non detur, quare speciale beneficium erit quod ita detur. Quæ ratio non solum currit in natura lapsa, sed etiam in integra, eandem enim habet indifferentiam, et indeterminationem, et ita concedit pater Vasquez disputatione CLXXXIX, capite ultimo, numero CLXXXIII.

III. Præter hoc fundamentum ex ratione indebiti deductum, utitur etiam illo fundamento relato ex oratione, et gratiarum actione, quia possumus orare Deum pro auxilio ad quodcumque opus bonum, et gratias agere si dederit; ergo est beneficium speciale. Tandem plura congerit testimonia sanctorum ad hoc ipsum probandum, quæ non possum singillatim referre, sed tota eorum vis consistit in quatuor dictis, quæ passim in Conciliis, et sanctis patribus inveniuntur. Primum in universali, quod: « Omnia opera bona fiunt ex gratia Dei: » secundum, quod: « Nullum opus bonum est ex nobis: » tertium, quod: « Gratia Dei ad singulos actus datur, ut contra Pelagium definitum est in Synodo Palæstina: » quartum, quod: « Nemo habet de suo nisi mendacium, et peccatum, » ut dicit Concilium Arausicanum XI, canone XXII.

IV. Similiter ad vincendas tentationes docet idem Concilium canone XIV, quod: « Nemo a quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur: » ergo nec ab ulla tentatione, quia tentatio miseria est. Et denique universaliter docent patres non posse nos resistere tentationibus nisi per gratiam Dei, et omni tempore et instanti indigere ad hoc ejus auxilio, specificando etiam tentationes leviores, ut con-

stat ex D. Prospero, loco statim citando. Additur et nova ratio pro tentationibus vincendis, quia vel tentatio est gravis, vel levis; si gravis, indiget speciali gratia, ut nos etiam fatemur; si levis, hoc ipso quod sit levis ex speciali providentia Dei est, non permittente quod occurrat gravis tentatio: ergo semper est ex speciali gratia. Urgetur ex Prospero libro contra Collatorem, cap. XXXV, quia si opera leviora possunt fieri per vires liberi arbitrii ergo gratia justificationis non datur ad observandum mandata absolute, sed ad difficiliora, et consequenter ut facilius, non ut absolute possimus bonum. Consequens est damnatum contra Pelagium in Concilio Milevitano, et communiter apud Augustinum ex illis verbis Christi: *Sine me nihil potestis facere*, ubi non dixit sine me difficile potestis, sed nihil potestis. Ac tandem, quia si possumus ex nobis aliquam tentationem vincere; ergo pro illa vincenda non est mortuus Christus; ergo per nostras vires eruimur a tyrannide diaboli, quantum ad illam tentationem; ergo possumus gloriari in nostra fortitudine quantum ad victoriam illius, non in gratia Dei, quæ omnia fides catholica abhorret.

V. Sit unica conclusio: Non indiget homo ad quodcumque opus morale bonum speciali gratia Dei, neque ad quamcumque tentationem levem vincendam. Loquitur autem tam de bonis operibus eliciendis, quam de tentationibus superandis, quia ad easdem vires pertinet bonum facere, et oppositum malum vincere, neque enim aliter tentationes vincuntur, quam oppositum bonum amplectendo. Hæc conclusio communis est apud auctores, et videri possunt ex recentioribus Curiel, Lorca, Montesinos, Suarez, locis allegatis præcedenti articulo.

VI. Ut autem breviter a sententia Gregorii, et antiquorum nos expediamus, adverte duo. Primum est, quod aliquod opus morale potest dupliciter dici bonum, uno modo ex parte ipsius operis tantum, id est, ex objecto, et circumstantiis; alio modo ex bonitate operantis, et quasi ex subjecto, et non dico ex intentione operantis, sed ex bonitate, quia intentio supponitur bona si opus est bonum, quia est circumstantia finis, sed bonitas operantis dicit rectificationem personæ respectu finis, stat autem bene quod aliquod opus referatur ex parte operis in unum finem, et ex parte personæ operantis in alium, sicut in habente charitatem peccatum veniale non refertur in Deum ex ipsa ratione operis, et tamen habitualiter, id est, ex parte subjecti manet homo ordinatus in Deum, et in peccatore non pœnitente eleemosyna, verbi gratia, aut aliud opus pium ex suo objecto ordinatur ad Deum, et tamen subjectum non convertitur ad ipsum.

VII. Secundo adverte, quod supposita fide docente quod per peccatum liberum arbitrium non est extinctum, sed viribus attenuatum, et inclinatum, ut definit Concilium Tridentinum sessione VI, capite I, oportet necessario fateri aliquas vires remansisse, quantumcumque tenues ad bonum, et licet manserit captivum, non tamen omnino impotens ad omnem actionem, alioquin non esset captivum, sed mortuum, et omnino extinctum in ordine ad bonum, et ad nihil aliud valeret quam ad peccandum, quod postea contra Michaelem Baium condemnarunt Pius V et Gregorius XIII, ergo respectu talium virium quæ manserunt in libero arbitrio aliquod opus bonum mansit factibile, utpote proportionatum, non quidem ut est bonum conducens ad salutem, vel habens modum a cha-

ritate, sed præcise ut est bonum morale, id est, non peccatum, nec actus indifferens in individuo.

VIII. Ex quibus principiis manifeste excluditur sententia Gregorii, quia nec ex defectu virium, neque ex relatione ad finem ultimum, nec ex illo particulari impulsu requiritur specialis gratia ad quodcumque opus bonum. Non ex defectu virium, quia aliquæ saltem remanserunt, et consequenter aliquod opus mansit factibile ab illis: non ex relatione ad finem, quia hoc ipso quod aliquod opus non est peccatum, ex sua intrinseca ratione est referibile ad finem ultimum bonum; licet enim ex parte personæ operantis non supponat perfectam conversionem ad finem ultimum, tamen ex parte ipsius operis, hoc ipso quod non refertur ad finem pravum, sed ad honestum, subicitur Deo ut fini totius honestatis. Nec denique ex peculiari illo impulsu quem ponit Gregorius, quia vel iste requiritur propter causalitatem causæ primæ in secundam, et dependentiam illius ab illa, et sic pertinet ad generalem concursum, quia omnis causa secunda generaliter dependet a prima, etiam entitas peccati; si ergo requiritur propter solam dependentiam causæ secundæ, a prima requiritur propter generalem rationem concursus. Vel requiritur, quia est motus ad bonum, et non ad malum, et sic petitur principium quare ad actum bonum proportionatum requiratur specialis concursus in voluntate, et non in aliis causis. Sola enim bonitas non facit actum improportionatum, alioquin etiam in natura integra requireretur specialis gratia ad bonum proportionatum, sicut in natura lapsa.

IX. Contra sententiam autem patris Vazquez notanda sunt tria, ex quibus et nostra confirmatur, et ejus fundamenta eradicantur. Primum est

hanc nostram sententiam esse D. Thomæ et Augustini (quod Vazquez negat) imo ex eorum verbis manifeste explicari auctoritates sanctorum in quibus Vazquez fundatur. Secundum est, non omnem concursum ad bonum esse indebitum naturæ indifferenti secundum se, licet alicui individuo particulari non semper debeatur. Tertium, quomodo maneant vires in voluntate etiam contra tentationes, et quomodo tentatio impediatur, vel non impediatur istas vires, quando est levis, et quando est gravis, levitas enim, et gravitas tentationis sumuntur comparative in ordine ad vires subjecti.

X. Quantum ad primum, mens D. Thomæ clare colligitur ex secundo contra gentiles, cap. XXVIII, ubi inquit: « Quod hoc alicui ex necessitate est debitum quod ad ejus perfectionem requiritur, sicut homini debitum est habere manus, vel virtutem, quia sine his perfectius esse non potest. » Igitur concursus ad virtutem fundatur supra debitum ipsi naturæ hominis: licet non cui libet individuo, et sic non est specialis gratia respectu hominis ut articulo præcedenti ponderavimus. Item in hac quæstione art. II inquit D. Thomas, quod etiam in natura lapsa: « Quia non est totaliter corrupta per peccatum, ut scilicet toto bono naturæ privetur, potest quidem etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere, sicut ædificare domos, plantare vineas, et alia hujusmodi. » Hæc autem opera (ut bene advertit Cajetanus) sunt opera moralia licet ordinis naturalis, quia sunt libere facta, et ad bonum finem ordinabilia, et ad hæc sufficit virtus naturæ secundum D. Thomam, nec requiritur virtus gratiæ.

XI. Nec obstat, quod requirit ad illa divinum auxilium, quia est

auxilium generale, si quidem requirit illud D. Thomas ad quamcumque causam naturalem, et ad omnem formam quantumcumque sit perfecta, ut patet in articulo primo. Ergo est auxilium generale, quia ad omnem actionem, et formam requiritur, et hæc duo loca sunt efficaciora apud S. Thomam, et videri potest in quæstione XIV de veritate, articulo XIV, ubi requirit ad bona opera proportionata humanæ naturæ auxilium Dei, ex eo: « Quod nulla res exire potest in operationem naturalem sine virtute divina. » Ubi clarissime loquitur de auxilio generali, quod est necessarium omni rei operanti. Unde quando postea subditur: « Quod si gratiam Dei velimus dicere, non aliquod naturale donum, sed ipsam misericordiam Dei, per quam interius motum mentis operatur, et exteriora ordinat ad salutem, sic nullum bonum potest homo facere sine gratia Dei: » (quæ verba ponderat pater Vazquez pro sua sententia) manifeste loquitur de bono opere ordinato ad salutem, quod certum est requirere gratiam Dei specialem. Quod si aliquando D. Thomas dicit, quod ad bonum mensuram naturæ humanæ requiritur auxilium gratiæ Dei, ut in secunda secundæ, quæstione CXXXVI, articulo III ad secundum, et in hoc articulo secundo ad primum, necessario intelligitur per auxilium gratiæ Dei, auxilium generale, quod latiori significatione dicitur gratia non specialis, sed generalis: quod ex eo patet, quia requirit hoc auxilium reddendo pro causali: « Quia illud bonum est connaturale naturæ humanæ, » quæ causalis falsa esset si loqueretur de gratia speciali, non enim requiritur ista, quia bonum ad quod datur proportionatum est.

XII. Similiter D. Augustini mens ex tribus ejus locis colligi potest, ubi distinguit bona opera conducen-

re deberent propter multitudinem hostium circumdantium. Alia duo posteriora loca, vel loquuntur de cogitatione, et scientia conducente ad justificationem, ut exponit D. Thomas et Augustinus articulo quarto, vel solum significant quamcumque cogitationem bonam non esse a nobis, sed ex Deo propter auxilium generale excitans, et præmovens, et concurrens, quod etiam est donum Dei, licet non speciale. Quæ est explicatio D. Thomæ hic articulo primo ad tertium, et omnia loca sanctorum, quæ simili modo loquuntur, altera ex his explicationibus exponenda sunt.

ARTICULUS III.

Utrum sit necessaria specialis gratia ad quodcumque opus morale naturalis ordinis, et ad quamcumque tentationem vincendam?

I. In hac quæstione et difficultate diverso etiam modo processerunt antiqui, et pater Vasquez; apud antiquos enim Gregorius Ariminensis, quem refert Cajetanus hic articulo secundo, et ex parte sequitur Castro verbo gratia, hæresi prima, et alii existimarunt requiri gratiam specialem ad quodcumque opus bonum morale; tum, propter infirmitatem voluntatis post peccatum, ratione cujus omnis victoria tentationis est ex illa gratia quam petimus, cum dicimus: *Ne nos inducas in tentationem*, est enim liberatio a tyrannide diaboli, a qua non liberat nisi gratia Dei; tum, quia ut inquit Gregorius, ad omne opus bonum præter excitationem, et concursum concomitantem Dei, requiritur quidam impulsus, et motio physica, quia ut dicit Augustinus libro II contra duas epistolas Pelagianorum, cap. VIII:

« Nulla bona facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo. » Ista ergo factio, seu motio Dei dicitur a Gregorio specialis gratia comparatione ad concursum concomitantem et excitantem; tum denique, quia ut aliquod opus sit bonum moraliter debet referri in ultimum finem, qui est Deus, ad quod requiritur specialis gratia propter specialem relationem in Deum.

II. At vero pater Vasquez hic disp. CLXXXIX, et sequentibus latissime hanc eandem sententiam prosequitur, ut requiratur gratia per Christum ad omne opus bonum morale, licet ad illud quod est naturalis ordinis, talis gratia per Christum etiam naturalis ordinis sit, sed hanc indigentiam gratiæ specialis non reducit ad infirmitatem, et defectum virium, vel ad relationem specialem in finem ultimum, ut Gregorius, sed ad indifferentiam, et indeterminationem voluntatis, quæ per aliquam cogitationem sanctam in congrua occasione datam determinanda est ad bonum; et ista sancta cogitatio congrue data posset sine ulla violentia denegari a Deo, stante integre toto beneficio creationis, et institutione naturæ; quare ad hanc cogitationem sanctam, et congruam libera Dei voluntate datam reducit Vasquez rationem specialis gratiæ, quæ ad quodcumque opus bonum requiritur, ut patet in disputatione CXC, cap. XII, numero CXXI. Quod vero illa cogitatio sit indebita, et consequenter speciale beneficium, deducit disp. CLXXXIX, cap. XIV et XV, ex differentia inter creaturas racionales, et reliquas, quod reliquæ creaturæ sint determinatæ ad unum, unde ex ipsa earum creatione, et conservatione debent eis determinatus concursus, ita ut sine violentia non possit eis connaturaliter denegari: at vero creaturæ racionales non sunt ad unum determi-

natæ, sed indifferentes, unde ex ipsa naturæ creatione, et conservatione non fit magis debitus concursus ad unum, quam ad aliud, vel quod datur cum congruitate ad effectum, vel non detur, quare speciale beneficium erit quod ita detur. Quæ ratio non solum currit in natura lapsa, sed etiam in integra, eandem enim habet indifferentiam, et indeterminationem, et ita concedit pater Vasquez disputatione CLXXXIX, capite ultimo, numero CLXXXIII.

III. Præter hoc fundamentum ex ratione indebiti deductum, utitur etiam illo fundamento relato ex oratione, et gratiarum actione, quia possumus orare Deum pro auxilio ad quodcumque opus bonum, et gratias agere si dederit; ergo est beneficium speciale. Tandem plura congerit testimonia sanctorum ad hoc ipsum probandum, quæ non possum singillatim referre, sed tota eorum vis consistit in quatuor dictis, quæ passim in Conciliis, et sanctis patribus inveniuntur. Primum in universali, quod: « Omnia opera bona fiunt ex gratia Dei: » secundum, quod: « Nullum opus bonum est ex nobis: » tertium, quod: « Gratia Dei ad singulos actus datur, ut contra Pelagium definitum est in Synodo Palæstina: » quartum, quod: « Nemo habet de suo nisi mendacium, et peccatum, » ut dicit Concilium Arausicanum XI, canone XXII.

IV. Similiter ad vincendas tentationes docet idem Concilium canone XIV, quod: « Nemo a quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur: » ergo nec ab ulla tentatione, quia tentatio miseria est. Et denique universaliter docent patres non posse nos resistere tentationibus nisi per gratiam Dei, et omni tempore et instanti indigere ad hoc ejus auxilio, specificando etiam tentationes leviores, ut con-

stat ex D. Prospero, loco statim citando. Additur et nova ratio pro tentationibus vincendis, quia vel tentatio est gravis, vel levis; si gravis, indiget speciali gratia, ut nos etiam fatemur; si levis, hoc ipso quod sit levis ex speciali providentia Dei est, non permittente quod occurrat gravis tentatio: ergo semper est ex speciali gratia. Urgetur ex Prospero libro contra Collatorem, cap. XXXV, quia si opera leviora possunt fieri per vires liberi arbitrii ergo gratia justificationis non datur ad observandum mandata absolute, sed ad difficiliora, et consequenter ut facilius, non ut absolute possimus bonum. Consequens est damnatum contra Pelagium in Concilio Milevitano, et communiter apud Augustinum ex illis verbis Christi: *Sine me nihil potestis facere*, ubi non dixit sine me difficile potestis, sed nihil potestis. Ac tandem, quia si possumus ex nobis aliquam tentationem vincere; ergo pro illa vincenda non est mortuus Christus; ergo per nostras vires eruimur a tyrannide diaboli, quantum ad illam tentationem; ergo possumus gloriari in nostra fortitudine quantum ad victoriam illius, non in gratia Dei, quæ omnia fides catholica abhorret.

V. Sit unica conclusio: Non indiget homo ad quodcumque opus morale bonum speciali gratia Dei, neque ad quamcumque tentationem levem vincendam. Loquitur autem tam de bonis operibus eliciendis, quam de tentationibus superandis, quia ad easdem vires pertinet bonum facere, et oppositum malum vincere, neque enim aliter tentationes vincuntur, quam oppositum bonum amplectendo. Hæc conclusio communis est apud auctores, et videri possunt ex recentioribus Curiel, Lorca, Montesinos, Suarez, locis allegatis præcedenti articulo.